



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

De Exemptorvm Privilegiis Circa animarum curam & Sacramentorum  
administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & praedicationem verbi  
Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

habenda , aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret , tenores hujusmodi præsentibus pro plenè & sufficenter expressis , & ad verbum infertis , habentes , illis alias in suo labore permanensuris , hac vice dumtaxat specialiter , & expressè derogamus , ceterisque contrariis quibuscumque: volumus autem quod præsentium transtumptis , etiam impreffis , manu alicujus Notarii Publici subscriptis , & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis , eadem prorsus ubique fides adhibetur , quæ ipsi præsentibus adhiberetur , si forent exhibitæ vel ostendæ : Quodque eadem præsentes litteræ , seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de Vrbe & in Acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent & afficiant , ac si unicuique personaliter intimata fuissent . Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xii Septembris MDCXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

M. A. Maraldus.

## E.

**S**acra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis , & consultationibus Episcoporum & Regularenum præposita censuit , per Confirmationes privilegiorum , quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt , nequaquam revixisse Privilegia prius ab eodem

Concilio , ac deinde etiam ipsius congregationis Decretis sublata , atque extincta , si quæ habebant , absolvendi à casibus Ordinario loci reservatis ; Quemadmodum nec inducta absolvendi à casibus contentis in bulla , quæ in Die Cœnæ Domini legi consuevit , utpote sublata per annum ipsius Bullæ publicationem , vires aut robur acquisivisse ex subsequentibus Privilegiorum confirmationibus : Ac proinde Regulares , cuiusvis ordinis , congregationis , societatis & instituti , etiam necessario exprimendi , nec intra nec extra Italiam in vim Privilegiorum , aut confirmationum ejusmodi , quas vel haçtenus obtinuerunt , vel deinceps forte obtinebunt , posse quenquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ aut Ordinario loci reservatis . Ac si fecerint egerint , absolutiones nullas , atque irritas fuisse , ac fore . Ab aliis vero casibus & Censuris Sedi Apostolicae reservatis , si quidam Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem , illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem Sacrae Congregationis Decretis , hac de re editis iussu San: mem: Clementis VIII.

Quam Sacrae Congregationis sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbavit , mandavitque ab omnibus , ad quos pertinet , inviolabiliter observari . Romæ 17 Novembris , 1628.

F. A. Card. S. Honorii.

Loco + Sigilli.

F. Fagnani Secr.

## F.

# DE EXEMPTORVM PRIVILEGIIS

Circa animarum curam & Sacramentorum administrationem , Sanctimonialium Monasteria , & prædicationem verbi DEI.

**T**V scias nonnulla dubia super ista Constitutione exorta fuisse , super quibus emanatae sunt declarationes Sacrae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Inter-

pretum , ab istomet Gregorio , & S. D. N. Vrbano VIII ejus Successore , respectivè approbatæ , quæ hic sub sequentur .